VIRO

SVMME REVERENDO AC

CELEBERRIMO

CHRISTIANO KORTHOLTO

IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

THEOLOGIAE PROFESSORI PVBLICO

ET AD AEDEM ACADEMICAM

VERBI DIVINI MINISTRO

DOCTORIS NOMEN

GRATVLATVR

SIMVLQVE

DE METHODO MATHEMATICA DEO INDIGNA

STRICTIM DISSERIT

CHRISTIANVS LVDOVICVS STOLTIVS

A. M. ET SOC. TEVT. GOTT. SODALIS.

GOTTINGAE

TYPIS IOHANN. FRID. HAGER. 1745.

Digitized by Google

Digitized by Google

Inter ea crimina, quae Scripturae S. contemtores eidem auſu temerario obiectant, & illud eſſe noſti, VIR SVMME REVERENDE, quod eam omni ordine ac iudicio fere deſtitutam dicunt. Quos homines vt, pro ſuo in genus humanum amore, in rectam viam reduceret Anglus eruditiſſimus, ROBERTVS BOYLIVS, *a)* eam rationem iniit, vt partim non ingratam eſſe eam ordinis negligentiam exemplis nonnullis, e rebus naturalibus petitis, oſtenderet, partim illum omnino ſeruari, de quo tamen recte exiſtimandum ſit, doceret. Non enim ſcholae methodum & affectatam hic adhiberi prouinciat, ſed talem, quae diuini numinis conſilio reſpondeat, eamque, ſicubi forte oculis noſtris ſe ſubducere videatur, facile redire, ſi vel de iuſte explicandis Temporibus, vel recte conſtituenda Parentheſi, vel mutanda diuiſione capitum & verſuum in N. Foedere *b)* cogitetur. Verum quaecunque tandem illa methodus *c)* ſit, a ſacris ſcriptoribus vſurpata, certum

a) Vide eius *Conſiderations touching the Style of the H. Scriptures*, editionis tertiae, quae Londini 1668, 8 prodiit, p. 53 ſqq. germanicae vero interpretationis, quam FREYLINGHVSIO debemus, p. 81 ſqq.

b) Conuerſionem illam in noſtram linguam non vſquequaque perfectam eſſe, vel ex hoc loco p. 89. ſq. patet, vbi ſenſus auctoris mirum in modum turbatus eſt. Conf. cum Angl. p. 60.

c) Conferri poſſunt de Scripturae methodo, qui & ipſi eius defenſionem optime ſuſcipiunt, GVILIELMVS NICHOLLSIVS in *Conference with a Theiſt* Part. IV. p. 157, cuius epitomen habes *Actis Erud.* 1700. p. 329, & ROBERTVS IENKINVS in *Reaſonableneſs and Certainty of the Chriſtian Religion* Vol. II. p. 73. ſqq. editionis ſextae, quae Londini 1734. lucem vidit.

Digitized by Google

tum tamen eſt, & vnicuique inſpicienti facile pateſcet, eam non eſſe mathematicam. Nemo igitur magnopere mirabitur, ſi cui noſtra aetate, quae eius methodi ſtudioſiſſima eſt, in mentem veniat, ſciſcitari, quid cauſſae fuerit, ob quam Deus non eandem rationem in libris ſuis ſit ſecutus, noſtriſque adeo hominibus eos reddiderit gratiores. Ardua ſane quaeſtio, ſi verum eſt, quod nonnulli contendunt, nihil quidquam ſine iſta intelligi, mentemque hominis, niſi doctrinae eius methodi legibus ligentur, conuinci plene non poſſe. Eam igitur, quum nondum ſatis explicata *d)* mihi videatur, pro viribus enodatam, tanquam publicum venerationis meae in Te monimentum, ad Te deferre conſtitui, quod benigno abs Te vultu exceptum iri, in ſpem inducor. Eo minus autem de ea re apud Te diſputare dubito, quod omnem theologiam pariter ac philoſophiam animo comprehenſam tenes, & libris ad mathematicorum leges compoſitis, maxime delectaris.

Non opus igitur videtur eſſe, vt multis verbis hic explanem, qua via Mathematici in propoſitis ſuis demonſtrandis procedere ſoleant. Dudum noſtri, VIR ERVDITISSIME, eos definitiones, axiomata & poſtulata tanquam fundamenta ponere, ex his, quae certa atque indubitata ratione conſequantur, eruere, & ſi qua his ſubſunt, quae ad vſum magis ſpectent, quomodo eo tranſferri debeant, docere. Haec veriſſima eſt illa ratio, quam & veteres Geometrae tenuerunt

d) Habet quidem nonnulla in hanc ſententiam non contemnenda GODOFREDVS WACKERMANNVS, vt ficto nomine ſe vocat, in des H. Apoſtels Pauli Warnung Coloſſ. 2. v. 8. vor den Parforce Philoſophen, vbi p. 47. ſqq. eandem quaeſtionem tractat, qui maiorem tamen plauſum meriturus erat, ſi a liberiori dicendi genere & conuiciis adeo ſibi temperaſſet.

Digitized by Google

runt, & noſtris temporibus quicunque operae pretium facere cupiunt, in ſcriptis ſuis ſequuntur. Iam ſi quaeratur, quid Deum impediuerit, quo minus & ipſe eandem adhiberet, plura hic reſpondenda eſſe intelligo, ſi omnis quaerendi materia praecidenda ſit. Primo quidem ab ipſis rebus, in ſacris litteris aperiendis, haud leue impedimentum allatum videtur, quae vix paſſurae erant, vt ſub huius methodi obſequium redigerentur. Sane ſi illa genera euolnas, in quae nuper omnia Scripturae S. eſſata accurate diuiſit IO. MARTINVS CHLADENIVS, *e)* ſuis in rem philoſophicam meritis conſpicuus, pauciſſima ita comparata eſſe cognoſces, vt ad propoſitionum, quibus Geometrae vtuntur, formam commode reuocari poſſint. Frequens in primis illud genus eſſe in ſacris litteris, quod res geſtas exponit, nec illi incognitum eſſe poteſt, qui eas quaſi praeteriens ſtrictim aſpexit. Sed cum illis in mathematicis nihil profeceris. Quum enim hic omnis demonſtratio a definitione maxime proficiſci debeat, quae non niſi Generis vel Speciei eſt, facile patet, illi propoſitioni, vbi non niſi ea, quae rebus ſingularibus contingunt, enarrantur, locum eſſe non poſſe. Nec enim iſta ita in his inſunt, vt prorſus ab his, vel ab aliis abeſſe non poſſint; quum contra ſi definitionem perpendas, omnia ea, quae de iſta re intelligi modo poſſunt, certa atque indubitata ratione cognoſcas. Nec plus ad demonſtrandum eae propoſitiones valent, quae aliquid myſterii habent, quarum itidem magna in Scriptura ſeges eſt. Neque his occultis offendetur, qui veram religionem ſine illis ſibi conſtare non poſſe cogitauerit, tantoque lubentius ab iis rimandis animum abducet, quanto certius, illa ſuam intelligentiam ſuperare

e) Logica Sacra, ſiue *Introduct. in Theologiam Syſtematicam* Cap. III.

Digitized by Google

rare nouit. Quum nihil igitur hic intelligamur, nec demonſtrata haec myſteria nobis exhiberi potuerunt, quod certa demonſtratio, niſi euidentibus principiis poſitis, inſtitui non poteſt. Nec obiiciat hic quis, libris theologorum, ad rigorem Mathematicorum compoſitis, haec intexta videri; quum ibi non ipſa myſteria demonſtrentur, ſed pro teſtimoniis ſaltim adhibeantur, quibus ſi ſua claritas conſtet, nihil praeterea expetendum eſt. Aliud eſt propoſitionum genus, quod legibus, mandatis, votis & id genus aliis continetur, quas, quod ad voluntatem referuntur, voluntates noue dixit CHLADENIVS *f*). Harum enunciationum ſimile nihil habet vel Philoſophia, vel Matheſis, vt ipſas etiam *non-logicas* appellent, id eſt, quarum nullus in philoſophia vſus ſit. In Matheſi vero etſi problemata huc pertinere videantur, quae aliquid faciendum praecipiunt: tantum tamen abeſt, vt Geometra voluntatem ad illa efficienda vel requirat, vel afferat, vt illorum rationem demonſtraſſe ſatis habeat, parum caeteroquin curans, vtrum illa fiant, nec ne, ipſa rei veritate contentus. Sed longe aliter cum diuinis litteris ſe res habet, vbi voluntas a praecipiente ſeiungi non poteſt, quod Tu optime noſtri, VIR SVMME REVERENDE, qui ſi ad populum diuinum verbum defers, non ipſorum arbitrio relinquis, vtrum ſuam ad diuinam voluntatem aggregare velint, an minus, ſed ſeueriſſimam hanc legem eſſe doces, vt imperia Dei non inuito animo exſequantur. Caetera, quae idem vir doctus de locis communibus, ſententiis & propoſitionibus ſenſu interno formatis, praecipit, praetereo, quod nonnulla abſtruſiora videntur, nec breuiter pro dignitate hic explicari poſſunt. Tam diuerſa igitur enunciationum ſacrarum & Mathematicis familiarium

f) *Logica ſacra* p. 184.

Digitized by Google

miliarium quum ratio ſit, nec vllae fere definitiones in ſacro codice habeantur, nec facile etiam condantur, ipſe, VIR DOCTISSIME, animaduertis, vix ac ne vix quidem fieri poſſe, rerum in ſacris litteris contentarum tractatio ad formam geometricam vt reuocetur. Sed ne ingenii noſtri modulo ipſum Deum metiri videamur, & quod a nobis effici haud poteſt, & illius virtutem excedere credamus, fingamus nunc, myſteria hominibus apertiora reddi, propoſitiones ſingulares in vniuerſales conuerti, mandatis, manente vi, voluntatem detrahi, & vt paucis rem concludam, Scripturae formam Euclideae ſimillimam effici poſſe, non plus tamen emolumenti inde exiſtere poſſe, prorſus ſum perſuaſus. Quum enim liber ille ad omnes homines aeque pertineat, ſane ea ratione ſcribi par erat, quae & ad populum erudiendum, menteſque illius flectendas frangendaſque plurimum valeret, quod in mathematicam cadere haud videtur. Etſi enim haec methodus ſummis laudibus a multis efferatur, quibus ipſam equidem fraudare nolim, adeo vt ſola fere ordo naturalis audiat: neminem tamen ex vulgo noui, qui ita cogitata ſua proferat, planeque miror, vel eruditos viros non niſi magno labore taedioque eam naturam addiſcere. Sed ne illud vrgeam, quod ad ſcribendi facultâtem ſpectat, ne aliorum quidem libros, ad eam normam compoſitos, intelligentia ac ratione comprehendere videntur, cuius rei nuper in KRANZOVIO, g) ciuitate germanica donato, experimentum cepi, cuius ſenſum

g) Qui ſeueriſſimi Geometrae perſonam induit, molles de felicitate opiniones ſuorum ciuium exagitans, quae elegantiſſima ſatira in noſtrum ſermonem conuerſa hoc ipſo anno, vt index fert, Londini prodiit.

Digitized by Google

ſenſum vix ii videre potuerint, qui non ſtipites ſibi videbantur; quum tamen argumentum tractet, quod nec a ſenſibus adeo remotum eſt, nec a communi vitae conſuetudine magnopere recedit. Sed fac, & plebem iſta intelligere, nihil quidquam tamen iuuare ad perſuadendum iſtum ordinem arbitror, ſi res ingratae eos proponantur. Sane multi eruditionis haud expertes viri in ea ſunt ſententia, *b*) Mathematicorum placita non tam ob veritatem ſuam omnium plauſum ferre, quam quod nihil habeant, quod cupiditatibus aduerſum ſit. Sic nemo offenditur, quod omnes anguli circa vnum punctum conſtituti quattuor rectos conficiunt, & diuitiis affluens magnum illis cumulum bono animo addere poteſt, & qui furtis viuit ſecure in aliena vlterius inuolare, etſi triangula ſuper aequalibus baſibus & in iisdem parallelis conſtituta, ſunt inter ſe aequalia. Sed longe diuerſi generis ea ſcita ſunt, quibus Scriptura maxime abundat, vbi videlicet domitas habere libidines iubemur.

b) Inde ſane Mathematicorum decreta robur ſuum petere videntur IO. PETRO DE CROSA, Philoſopho noſtri ſaeculi haud contemnendo, qui *Logicae Syſtemate*, quod Geneuae 1724. in lucem edidit, p. 630. *veritatis mathematicas*, inquit, *omnium clariſſimas eſſe, quod affectibus humanis non obſcurentur; quibus praepediti, ideis noſtris ineſſe putamus, intraque eas contineri ſupponimus, quod minime continent. Vix enim quis vnquam vllo fuit emolumento inductus, vt propoſitionem aliquam mathematicam admitteret potius, quam reſpueret*; & in eandem ſententiam IENKINVS, libro, quem laudaui, *Men are unwilling to believe any thing to be true, which contradicts their Vices; and the weakeſt Argument, with ſtrong Inclinations to a Cauſe, will prove or diſprove whatever they have a mind it ſhould*, Vol. I. Preface p. XXXIII.

Digitized by Google

mur. An hic methodo tantum opus eſſe quis exiſtimabit, vt labem abſtergamus, quam vel ab ortu nobis ingenitam habemus, vel longo vſu contraximus? Fallar ego, vel ipſa luce, qua iſtae veritates radiant, commonefactus, VENERANDE VIR, cognoſces, parum adiumenti ad cupiditates coercendas hunc ordinem allaturum, quae ſine magna vi reſtingui non poſſunt. Sed ſi etiam animum ab his ingratis abducere velimus, ipſa methodus quoque habet, quae rudiorum mentes ab aſſenſione cohibere poſſint. Quum enim hic omnis res vniuerſalibus propoſitionibus, quae a ſenſibus abſtrahuntur, conficiatur, tanto certe difficilius iſtae horum voluntatem flectent, quanto magis, ſenſibus ducti, ad illos adhaereſcunt. Hinc eos etiam rerum geſtarum, quae ſenſibus percipi poſſunt, expoſitionibus mirum in modum delectari videas, maioremque apud ipſos exempla, quam praecepta, ad perſuadendum vim habere, quod magis illa illorum captui, quam haec, accommodata ſunt. Sed ſi etiam conſuetudinis in ſcribendo habenda eſt ratio, certe tanto magis in libris, qui ad Iudaeos maxime ſpectabant, ab ea methodo abſtinendum videbatur, quo magis a tam coacto & exaſciato ſcribendi genere illorum ingenium abhorrebat. Sed quid abhorruiſſe eos hanc rationem dico, quae ea aetate prorſus incognita ipſis fuit, nec in ipſa Graecia ante EVCLIDIS tempora frequentata, quem primum omnia collegiſſe, collecta digeſſiſſe, quaeque negligentius probarentur, accuratius demonſtraſſe, VOSSIVS dicit de *Matheſeos natura & conſtitutione* Cap. XV. Nec poſtea tanta ingeniorum Iudaicorum mutatio facta eſt, vt ſcriptores ſacri, qui Nouum Inſtrumentnm condiderunt, eum ordinem ſequi neceſſe haberent, ad illa ſi componere ſe vellent; inter profanas gentes autem pauciſſimos fuiſſe nouimus, qui eo inſtituto vterentur. Sed finge iam, VIR ERVDITISSIME, & res ſacris

litteris propoſitas, iſtam methodum ferre, nec ingenium moremque hominum, iis erudiendorum, repugnantis aliquid habere, in ipſo Deo tandem haud leuis difficultas quaerenda videtur, quem parum illam ſcribendi rationem decere ſtatuendum eſt. Quum enim plura in iis contineantur iura, quae hominibus praeſcripſit, longe ſane ab eius dignitate abeſſe videtur, cauſſam multis rationibus agere, quae vel ſola dicentis auctoritate ſe tueri poteſt, & debet. Quis enim eſt legumlator paullo eminentior, qui quum quidquid ſimpliciter ponat, ciuibus ſeruandum intelligat, multis argumentis id ſtipare malit? Imperare hi ſuum eſſe ducunt, non demonſtrare. Si qua enim a re, certe a legibus ferendis nimia illa demonſtrandi cura abeſſe poteſt, quae neſcio quam ſuſpicionem mouere poteſt, vt ipſi de verbis noſtris, ipſorumque virtute diffidere videamur. Quod ſi igitur ea in hominibus ad ciues ſuos vis eſt, vt ſimplici mandato hos regere valeant, annon eius, cuius dominatu omnia tenentur, tantam auctoritatem eſſe putabimus, vt vel verbo verum dicere, vel obſequium imperare poſſit? Confirmant quidem ii, qui leges ſanciunt, ne quid iniuſte poſtulare videantur, decreta ſua rationibus, ſed id & rarius facere meminimus, nec veram ſemper cauſſam in medium proferre. Quin etiam ſummum Numen ad rationes legum ſuarum reddendas nonnunquam deſcendit, & placita ſua ita munit, vt etiam quae contra ſunt, tollat, cuius rei exempla maxime in Nouo Inſtrumento habentur. Sane in eo diſcrimen facit BENEDICTVS SPINOSA *i*)

inter

i) *Tractatu Theologico-Politico* Cap. XI. *p.* 138. vbi *Apoſtoli*, inquit, *vbique ratiocinantur, ita vt non prophetare, ſed diſputare videantur. Prophetiae vere contra mera tantum dogmata & decreta continent;*

quia

inter Apoſtolorum & vatum diuinorum ſcripta, quod haec mera dogmata & decreta contineant, illi vbique ratiocinari & diſputare videantur. Quod vt admitti quidem poteſt, ſi non tam generatim accipiatur, quum nec omnes nec vbique id faciant, ſic non eo cum auctore trahendum, ac ſi non ex reuelatione vel expreſſo mandato ſcripſerint, ſed ad diuinam ſapientiam, quae cum diuerſis diuerſe agat, referendum eſt. Deſinant igitur curioſi vbiuis argumenta in ſacris libris requirere, ſine quibus iſta methodus ſibi non conſtat, quae ne legum quidem humanarum auctores ſemper attulerunt, quaeque, effuſe prolata, tantum de imperantis dignitate detrahunt, quantum, parce adhibita, amorem ciuium animis inſtillare valent.

Quam demonſtrandi methodum vero a ſacrorum ſcriptorum monimentis dum recte abeſſe oſtendi, nolim eam a Theologiae reuelatae, in ſyſtema compingendae, tractatione excludere, quam cum fructu ea ratione a nobis tradi poſſe, cum Summe Reuerendo GEORGIO HENRICO RIBOVIO, *k*) qui eius rei periculum fecit, aliiſque eruditis viris ſtatuo. Dubiam quidem huic methodo palmam ex eo facit Vir Celeberrimus, IOANNES GEORGIVS WALCHIVS, *l*) quod certa perſuaſio ex illuminante gratia demum

quia in iis Deus quaſi loquens introducitur, qui non ratiocinatur, ſed ex abſoluto ſuae naturae imperio decernit.

k) *Inſtitut. Theol. Dogmat. methodo demonſtratiua traditis*, p. 74 ſqq.

l) Praefatione, quam IOANNIS FRIDERICI HOLZAPFELII elementis Theologiae, quas Kurzgefaßte theologiſche Lehrſätze inſcripſit

Digitized by Google

mum oriatur; ſed miror, virum doctum non vidiſſe, ſe hoc modo plus probare, quam volebat, quum idem etiam analyticam feriat rationem, quam tamen laudat. Alia habet, quae in Mathematicis reprehendat, Vir Clariſſimus, IOANNES PETRVS DE CROSA, *m*) quorſum illud in primis pertinet, quod *eos ſoliditate & certitudine contentos, de ordine & perſpicuitate minus ſollicitos fuiſſe* dicit. Sed ad perſpicuitatis neglectum quod attinet, in eo vir doctiſſimus, ipſe Matheſeos artifex & doctor, magna iniuria Mathematicos laceſſere videtur. Vt enim praeteream, de certo conſtare non poſſe, niſi adſit perſpicuitas, vbi quaeſo plures demonſtrationes a priori, quas ille deſiderare videtur, *n*) inuenias, quam apud Mathematicos, qui nihil fere, niſi certis definitionibus poſitis, concludunt? Sed mitius ſentit in ſequentibus hic vir acutiſſimus, atque adeo a ſe ipſo diſcedit, dum optat, vt Ethica ea certitudine atque euidentia, qua Matheſis fulget, demonſtrari poſſit, atque ita ornata ab ſe legi, immo id fieri poſſe, prorſus confidit. *o*) In ſua vero morum philoſophia, quam nuper idem promiſit, *p*) quod rationem demonſtrandi in Matheſi vſitatam deſerere

nuper praemiſit, quaque diuerſas theologiam tradendi rationes leui brachio perſtrinxit, p. 5. ſi numeres.

m) *Syſtemate Logicae* p. 626. Parum abeſt, quin credam, & de certo in Mathematicorum methodo dubitaſſe celeberrimum auctorem, quod in ea locum ſophiſmatibus relictum ab eo videam Diſſert. *de mente humana* p. 220 ſq.

n) *ibid.* p. 626 ſq.

o) *ibid.* p. 631.

p) *Noua litter. Gotting.* 1739. p. 387.

ſerere conſtituit, id non hunc habebit intellectum, ac ſi certum atque euidentiam ab opere ſuo abeſſe velit; ſed diſciplinam exhibere cogitat, externa illa forma, tanquam veſte detracta, vim eandem, maiorem vero, ni fallor, iucunditatem habituram. *q)*

Habes

q) Quae incommoda Mathematicorum methodus in philoſophia morum ſecum ferat, aperte iudicat, & quae remedia his malis comparanda ſint, oſtendit doctiſſimus *Bibliothecae Italicae* auctor. Digna ſunt eius verba, quae hic legantur. *Cet ordre* (ſavoir Geometrique) *a ſes avantages, en ce qu' il ne permet pas de ſortir de la queſtion; mais il a ceci de fatiguant & d' ennuyeux, que par trop d' exactitude, & pour vouloir rien ſuppoſer, on repete beaucoup de choſes claires, & on rend le diſcours fort coupé & interrompu. C' eſt preſque le cas de dire,* non amo nimium diligentes. *J' y vois encore cet inconvenient, c' eſt que ceux, qui employent cette methode en prennent un air d' infaillibilité, qui ſouvent ne leur ſied pas bien mieux qu' à d' autres, & que par-là ils éblouiſſent des lecteurs qui n' etant pas capables de ſuivre de telles demonſtrations, s' y ſient pourtant, parce qu' ils ont ouï dire, que tout ce qu' il ſe demontre Geometriquement eſt de la derniére évidence. On a pour cette methode, je ne ſai quel reſpect aveugle & religieux: quoi qu' il ſoit trés-facile, quand il s' agit d' idées complexes, comme celles de Morale, de gliſſer dans les principes quelque équivoque, ou de biaiſer dans les conſéquences, d' une maniére ſubtile, qui fera d' autant plus d' illuſion, que l' eſprit eſt moins ſur ſes gardes. Si un homme prenoit la peine de s' exercer en ſon particulier dans cette methode pour s' acquerir de la juſteſſe, & de la préciſion, ſans en faire parade au dehors* (*au moins dans les matiéres qui ne le demandent pas;*) *s' il pouvoit avoir l' eſprit Geometrique ſans en avoir l' appareil,*

B 3 *comme*

Digitized by Google

Habes hic, VIR ERVDITISSIME, ſententiam meam & de Scripturae methodo, & de omni theologiam tradendi ratione ſtrictim expoſitam, quam ſi aſſenſu Tuo comprobaueris, maximum argumentis meis pondus acceſſiſſe putabo. Nec ſperare illud vereor, etſi ſcio, tantum abeſſe, a mathematicorum rationibus vt abhorreas, vt etiam mathematicam cognitionem in eccleſiaſticam hiſtoriam inuectam velis, *r)* qua, quantum quaeque cauſſa ad effectum productum contulerit, quaeratur; quum diuinam ab humana docendi via ſeiungere probe didiceris. Sed ſi etiam minus praeclare rem egiſſe me exiſtimabis, ſatis mihi erit, ſummum meum in Te colendo ſtudium Tibi ſi probauero; quod certiſſime me facturum ſpero. Diu iam eſt, quod in vitam Tuam, VIR VENERANDE, intueri, & merita, quibus eam illuſtrati, ſuſpicere coepi. In Academia Lipſienſi, quum ageres, non ſolum iuuenes ad hiſtoriam, philoſophiam & omnem prope humanitatem informaſti, ſed & ſcriptis, hiſtorici potiſſimum argumenti, conficiendis operam dediſti, quibus rebus factum eſt, vt breui poſt acceſſum tempore locum inter philoſophos haberes, nec praeſens tantum gratus eſſes, ſed & abſens magnum Tui deſiderium relinqueres. Sed hac doctrinae copia haud contentus, in ipſam Angli-

am,

comme on l' a vû chez pluſieurs Auteurs judicieux; nous n' y perdroins rien pour l' exactitude, & nous y gagnerions beaucoup pour l' agrément. Tom. XIV. p. 54. ſq.

r) Praefatione, quae elegantiſſimae Diſſertationi *de Philoſophia orientali primis P. C. N ſaeculis eccleſiam chriſtianam turbante* praemiſſa eſt.

Digitized by Google

am, cultiſſimam regionem, religionis interius noſcendae cauſſa contendis, nec facile ſolum in virorum eruditorum, qui Londini florent, conſuetudinem Te inſinuas, ſed ſummum etiam ſplendorem ex regia clementia conſequeris, omnes autem Tua humanitate ſic deuincis, vt quantum doctrina inter plures Te eminere intelligerent, tantum honore illis Te haberent ſuperiorem. Cuius virtutis, tanto ſtudio comparatae, praemium haud diu exſpectandum fuit. Sereniſſimus enim Danorum Rex Te in primis dignum iudicauit, qui legato ſuo ad Imperatorem Romanorum a concionibus eſſes, religionemque, cuius veritatem ſcripto nuper praeclare tuitus eras, ipſum, & qui eius ſacris ſe adiungerent, ore nunc in auguſtiſſima Germaniae aula edoceres. Qui locus, etſi ampliſſimus & ad augendam rem opportuniſſimus eſſet, quum haud ſatis commodus explicandis ingenii Tui opibus Auguſtiſſimo M. Britanniae Regi videretur, alium apud nos obtulit, vbi & eruditionem Tuam, quod antea feceras, in iuuenes transfundere, & ad populum de diuinis rebus dicere poſſes, quem etiam nunc exornas. Nec vero eſt, quod quibus meritis & rem litterariam & ſacram iuueris, hic perſequar, quod & modeſtia Tua illud vetat, nec eruditorum hominum conſcientia id requirere videtur. Quis enim eſt, qui neſciat, LEIBNITIVM maximam integritatis ſuae partem Tuo ſtudio debere, quod quantum ſit, omnes ii ſciunt, qui quo loco LEIBNITIVS apud nos ſit, cognitum perſpectumque habent; fundamenta vero religionis chriſtianae firmiſſima abs Te iacta eſſe, nobiliſſimamque officiorum noſtrorum partem, quae precibus continetur, ſic explicatam, vt contemtores vix amplius habeant, quod opponant? Quae quotieſcunque animo atque cogitatione complexus ſum, (complexus autem ſum ſaepiſſime) toties ſumma virtutum Tuarum veneratio & incredibilis plane e ga

Te

Digitized by Google

Te amor in me exſtitit, cuius voluptatis ſenſum publice nunc inter gratulantium voces quodammodo me exprimere poſſe, laetor. Gratulor ergo ex animo Tibi eum honoris gradum, ad quem hodie Venerandns Theologorum Ordo Te prouexit, quem non noſtrae tantum Academiae, ſed vniuerſae rei litterariae ac coetui chriſtiano ſalutarem fore, non tam ſpero, quam prorſus confido. Faxit modo ſummum Numen, vt quaecunque ſuſcipis, proſpere Tibi ſuccedant, & cum ſplendida Tua gente vitam omni felicitatis genere cumulatam agas, nec niſi ſumma ſenectute confectus, & in hoc celeberrimum auum Tuum parentemque referens, eam ponas. Caeterum quam ſemel in me ſuſcepiſti beneuolentiam, eam mihi vt ſemper praeſtes, ita Te rogo, vt maiore ſtudio non poſſim. Gottingae, e muſeo, cIɔ Iɔ ccxxxxv. quinto decimo Kalendas Octobres, ipſo ACADEMIAE die natali.

Digitized by Google